



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. Quænam sunt obligationes depositarii?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

studiendum traditur, & ab hoc suscipitur. Perficitur solum, dum res traditur a deponente, & suscipitur a depositario. Tradere enim, vel deponere non sufficit, sed requiritur etiam ut alter significet se ejus custodiam suscipere; nisi forte ex officio teneatur eam custodire, ut sunt caupones, stabularii, aurigæ, nautæ, &c. nam sufficit illis videntibus rem in domo, vel curru, vel navi deponi, l. i. ff. *Nautæ.* &c.

Sequestrum autem, quod est species depositi, est contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine, ut postea reddatur ei, cui adjudicabitur.

Q. 2. Quænam sunt obligationes depositarii?

Resp. Ex communi, tenetur 1. Rem depositam servare, ac custodire, eam curâ ac diligentia, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere, l. 32. ff. *deposit.* Quid si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solum de dolo, & latâ culpâ. l. i. Cod. *deposit.* &c. Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi.

Hinc sartores, moltores, aurigæ, caupones, & similes tenentur ex culpa levi, nam tenentur ex officio sibi, & aliis utili annexam, habente

custodiā eorum, quæ ipsi traduntur, & sic tenentur ea custodire. Ex contractu virtuali, ac implicito in utriusque partis commodum cedente. Si verò dispositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit eā uni, si egeat, hic tenetur decūlpa levissima, juxta alibi dicta. Item si seipsum obtulit ad custodiendam rem maximā diligentiam, vel hanc expressè promiserit; nam tunc tenetur ex pacto contractu addito.

2. Tenetur non uti re deposita, sine consensu Domini expresso, vel tacito, aut saltem prudenter præsumpto: quia rei usus non est ipsi concessus, sed solum commissa custodia; & non licet usurpare usum rei alienæ invito Domino: alioqui fit contra justitiam, nam quivis habet jus, ut nemo utatur re sua sine suo consensu. Quare l. 3. Cod. *depos.* utens re aliqua deposita sine consensu Domini dicitur reus furti. Hinc si usus ille sit pretio æstimabilis, ut usus equi, vestis, &c. solvi debet illius pretium: nam usus & fructus rei ad Dominum pertinet, & pretium usus est quidam fructus. Quod si Dominus usum concedat, tunc depositum transit in mutuum, si res deposita sit usu consumptibilis, aut alienata: vel si talis non sit, in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem, si pretium exigatur. Porro juxta multos Domini consensus præsumitur circa usum pecuniæ depositæ,

sitæ, cùm eam tradit nec sacculo clauso nec obsignato, nec alio indicio ostendit se utendi facultatem denegare; modo recipiens sit moraliter certus se eam solutum, ut primum exigetur.

3. Tenetur depositum repetenti reddere statim, cap. 2. de depos. & l. 1. ff. depos. nam aliqui retineret rem alienam invito Domino. Excipe nisi deponens in suum, vel aliorum damnum reposcat, utsi furens ensem repetat: nam tunc deponens non est rationabiliter invititus; vel nisi res deposita sit furtiva, & Dominus eam repetat; tunc enim restitui debet Domino, l. 31. ff. depos. Si verò Dominus eam non repetat, juxta l. cit. & l. 1. ff. depos. restituere debet ipsi furi, sed tunc tenetur cum monere, ut eam restituat vero Domino; & nisi faciat, monere damnum. Imò videtur lex supponere furem rem depositam repetere, ut eam restituat Domino. Quare Lessius docet eam semper debere restitui Domino, nisi fure putetur eam repetere animo restituendi eam Domino.

Porro si depositarius alteri, quām Domino reddiderit depositum, & perierit, non tenetur ad restitutionem: modò bona fide, & prudenter, licet falsò putaverit esse Dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum: quia tunc abest fraus, dolus, & culpa lata, ex quibus solum tenetur de damno.

Hh §

Q. 3.